TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PNEUMONIA.

23

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PNEUMONIA:

QUOD

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENÆ PRÆFECTI,

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU, ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoris,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

GEORGIUS LUBBREN,

ANGLO-BRITANNUS.

Viresque acquirit eundo.

Kalendis Augusti, horâ locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT JOANNES MOIR.

MDCCCXXIII.

PATRI OPTIMO

ATQUE AMICO CARISSIMO,

JOHANNI THEODORICO LUBBREN,

ARMIGERO,

HAS STUDIORUM PRIMITIAS

VENERATIONIS TESTIMONIUM

SACRARE VOLUIT

FILIUS.

FRATRI CARISSIMO,

FREDERICO MALIN LUBBREN,

ARMIGERO,

MORUM COMITATI INGENII CULTU VIRIBUSQUE

POLLENTI,

FRATERNI AMORIS

HOC TENUE SED SINCERUM PIGNUS

CONSECRAT

AUCTOR.

TENTAMEN MEDICUM

INAUGURALE,

DE

PNEUMONIA.

AUCTORE GEORGIO LUBBREN.

Communi Pneumoniae nomine, inflammatio tam pleurae quam ipsius pulmonis significatur: nosologi quidem plerique hos duos morbos separatim tractaverunt. Quum vero ad aegrotantium cubicula ventum est, e signis manifestis morbi situm accurate discernere perdifficile est; quin ubi inflammatio semel pectus occupavit, ex alia in aliam partem, utpote contiguam fabricaeque simillimae, quam facile atque citissime transire potest. In Pneumonia etiam curanda sedes multo minus quam vehementia doloris consideratur; haec enim vim in-

flammationis et remedia ad eam subigendam necessaria indicat, ideoque sub Pneumoniae titulo ambos mihi contemplari morbos animus est; divisionem quorundam in Pneumoniam sthenicam et asthenicam, utpote ad parum utilia ducturam, nihil moror. Pneumonia asthenica, si quis talis existat affectus, signum est Febrium vel Bronchitidis, atque sub iis nominibus consideranda.

DE DEFINITIONE.

MORBORUM perfectae definitiones paucae sunt, difficile enim e signis externis malum internum deprehendere. Definitione autem CULLENI nihil absolutius vel accuratius esse potest; eamque jure omnes admirantur. Hisce verbis Pneumoniam definit:

"Pyrexia, dolor in quadam thoracis parte, "respiratio difficilis, tussis."

Ordine Phlegmasiarum collocat, atque in duas quas supra memoravi species diducit, ita

tamen, ut cum nobis divisionis hujusmodi ineptias se sentire fateatur.

DE MORBI HISTORIA.

Pectoris inflammationem aliquam adesse judicamus, si dolor in quavis ejus parte est, inspiratione auctus, simulque febris plus minus gravis, urget. Dolor inter costam sextam et septimam plerumque grassari dicitur, saepiusque dextram quam sinistram thoracis partem occupare; sed haec minus firma sunt, quam nulla non pectoris regio saepissime ei sedem praebeat. Quin haud paucis dolor inter scapulas quasi fixus est, et formam morbi nequaquam faustam constituit. Ille tamen a sede propria in varias thoracis partes jaculari solet, modo acutissimus, modo hebes, pro inflammationis situ. Medicorum etiam antiquiorum olim fuit opinio, inflammationem *membranae* quam parenchymatis visceris cujusvis, plus doloris facessere. Nec idoneo fundamento haec notio prorsus caret; quamvis fatendum est,

eam saepenumero alienam esse, ut in hoc ipso morbo, qui nunquam habet parenchyma inflammatum quin membrana, sive pleurae, sive bronchiarum una inflammata videatur; sedes ergo doloris non ullo modo crudelitatem ejus explicat, quae quidem aliis minusque cognitis causis temperatur.

In morbi progressu respiratio crebrior fit saepe 60 vel 70 per horae sexagesimam partem, difficilior simul. Aucto enim fluctu sanguinis per pulmonem, cellarum ejus aëra capientium spatium diminuitur ideoque ipsae minus explicatae, crebriorem quae compenset aëris reciprocationem postulant, atque dolor Pneumoniae proprius expansionem thoracis necessariam prohibet ob cruciatum. Spiritus calidior fit, aeger saepe non nisi altero latere, decumbere potest, nec spirare nisi positu corporis erecto, quo spatium facilius praebetur pulmonibus expandendis, diaphragmatis descensui. Si inflammatio pulmonum substantiam occupaverit, aeger latere affecto facilius decumbit, quippe quia lobus pulmonis non affectus tum nihil comprimatur. Si vero sum-

mam tantum pleuram occupaverit in latus sanum facillime decumbetur, scilicet dolore tum lenito. Quando quidem erectus sedere cogitur neque in alterutrum latus incumbere potest, totum pulmonem affici monstrat.

Pulsus celer est, atque apud initium morbi fortis plerumque ac durus; sed aliquamdiu post saepe imbecillus fit, debilis, inaequalis. Hoc autem vel inflammatio maxime intensa fecerit, vel ventriculus sinister cordis copiam sanguinis idoneam non amplius excipiens, vel doloris demum vehementia liberam thoracis expansionem ideoque sanguinis per pulmones transitum, impediens. Tum etiam sanguinis venosi reditus ad pulmones impeditur, unde vasorum capitis distentio gignitur, facies tumescit, livescit, oculi nitent rubentque membra extrema, deficiente jam sanguine arterioso, frigescunt, homo delirio vel sopore afficitur. Tussis semper adest dolorem augens primo fere sicca, postea vero humida. Vehementioris inflammationis signum est, sanguinem purum sputo ejicere. Cutis calida atque sicca est, sitis urget, urina colore profundo est, nec quid-

quam demittit, nisi finem versus morbi ; alvus plerumque adstricta.

DE FINIBUS.

Pneumoniae frequentissima, et sola optanda terminatio resolutio est. Ea enim paulatim subsidit inflammatio, pulmones in statu pene naturali relinquens. Raro quidem evenit nisi artis auxilio, rarissime autem post diem morbi septimam sine remediis praetergressam. Ante hunc diem resolutionis indicia plerumque apparent cum materia crassa, opaca, albida saepe sanguine tincta sine ulla difficultate ex sputo exscreata dolorem levante simulque febris remittit ; saepe perspiratio generalis resolutionem comitatur levamen adducens ; qui non levant sudores, infausti sunt ; sanguinis e naribus profluvia, vel e recto, siquando haemorrhoides suppressae excitaverint, fluxus urinae copiosus, sedimentum albidum deponens morbum aliquando terminare visa sunt.

Tempus quo suppuratio supervenit valde incertum est. Vulgo, sed perperam docent ante septimum incipere diem; sed perplurima extant exempla, quibus non tantum post septimum sed decimum diem* Pneumonia resoluta fuit; quod coeperit hisce signis cognoscas. dolor subito quiescit, neque tamen quid ex profluviis criticis adest. Horrores sunt, spiritus difficultas manet cum ponderis in thorace sensu, tussis modo sicca, modo purulenta urget, pulsus remollescit, sed celeritate sua persistit, atqua febris formam hecticam induit.

Vomica, seu pulmonum abscessus diversis rationibus finiri potest, pro situ ejus atque natura. Si vomica externa sit, materia viam sibi inter costas parare, et extrinsecus patere potest, abscessu tandem sanescente. Vel in cavum thoracis sese exonerare poterit quo casu Empyema factum esse dicimus. Empyematis signum est, ponderis atque fluctuantis quasi humoris sensus in pectore, atque hic affectus plerumque necat. Tertius finis est ubi

* Cullen, p. 355.

pus sese effundit in bronchias indeque excreatur. Abscessus si parvus sanescere potest, sed in plerisque exemplis Phthisis pulmonalis supervenit. Denique, vomica in pulmone interno formari potest, ibique diu integra manere, donec hectica assidua miserum exhauriat, vel materiam suam purulentam subito effundens, momento suffocet.

Quod olim *Scirrhum* pulmonum medici vocabant species effusionis erat, quae nunc *Hepatisatio* audit. Multum sanguinis vel lymphae coagulantis in cellas reticulatas, et pleuram pulmonum effunditur, quo fit ut viae hujus spiritales penitus clausae fiant, pulmo thoraci adhaeret, et massa fusca iners, aëre non amplius dilatabilis caveam hujus nunc occupat. Latus, extrinsecus inspectum, collapsum apparet, sano jam turgente. Tussis difficilis saepe restat, et dolor aliquis; nec raro in febrem hecticam degenerat.

Quin sanguinis vel seri profusio in substantiam pulmonum facta celerem suffocationem inducere queat.

Hydrothoracem exudatio e pleura nimia fa-

cile inducit. Fluctuantis humoris sensu in pectore, urina parca, membrorum tumore, palpitationibus, somniis perturbatis, dyspnoea ingenti tussi facile is agnoscitur.

Adhaesio pulmonum ad pleuram costarum sollenis est morbi terminatio.

Gangraena perraro evenit, atque tum semper lethalis fit. Hujusmodi exempla quaedam HUXAM se vidisse narrat. Recentiores autem scriptores vix fidem adhibent.

CADAVERIS INCISIO.

PULMONES varias praebent species morbidas in Pneumonia. Aliquando inflammatio non ita intensa fuit ut fabricae mutationem insignem genuerit; parte nihilominus aliquantulum rubente, atque sanguine turgente; aqua demum mersa facile descendente. Alias pulmonis ac pleurae portiones corruptae inveniuntur; puris quoque collectiones in pulmonibus obveniunt; bronchiae eodem interclusae sunt propter vomicam ruptam. Quoque san-

guinis vel seri effusiones in pulmonibus videntur, superficies *strato* lymphae vel tuberculis obsessa.

DE CAUSIS.

De Excitantibus.—Earum princeps frig us est, praesertim si corpori calefacto admotum, aut pulmonibus per aërem inhalatum. Subitae coeli vicissitudines, corporis nisus vehementes quibus sanguis ad pulmones raptim acceleratur, ingentia vocis conamina, utpote quae sanguinis transitum per pulmones impediant, vaporum acrium inhalatio, potus stimulantes, pectoris vulnera, causae rariores sunt. Contagiones quaedam, ut Rubeola, variola, Scarlatina exanthematum pulmones inflammare tendunt; nec raro catarrhus, pertussis, febris continua, rheumatismus, podagra similem Pneumoniam sympatheticam generare videntur.

Causae praedisponentes sunt : Temperamentum corporis sanguineum, prava thoracis conformatio, diathesis, vel proclivitas strumosa, uti

quidam affirmant, aetas robusta, pleni, pingues, laute viventes, exercitati homines.

Quicquid demum corporis plenitudinem auget, proclive illud ad inflammationem pulmonum vehementer reddit.

Causa proxima, hoc est, morbi ratio vel theoria, valde simplex est. Frigus admotum vasa cutis minima constringit, similemque, verisimile est, constrictionem vasorum pulmonum gignit, cui inflammatio facile supervenit. Pari consensu cum cute fit ea Peripneumonia notha cui in membrana pulmonum mucosa sedes est, hodieque bronchitis audit.

DIAGNOSIS.

Soli morbi quibuscum Pneumonia confundi potest sunt Carditis, Bronchitis, Pleurodynia, Hydrothor ax, Hepatitis, Diaphragmitis.

Difficilis fere impossibilis quidem distinctio inter pulmonis atque cordis inflammationem est; saepe enim conjuncta adsunt una, saepius altera in alteram transit. Signa quoque per-

quam similia sunt; sed Carditis pulsum haud ita durum, abnormem, intercisum vel inaequalem exhibet, crebras palpitationes animique defectiones, positumque corporis semireclinatum postulat. Denique dolor sedem cordis, qua vix pulmo affici posset, semper occupat.

Bronchitis, Catarrhus senilis, Peripneumonia Notha, vel si qua alia supersint nomina inflammatio membranae mucosae Pulmonum est, ideoque semper ingenii mitioris. Propter enim vasorum facilem depletionem, febris minus intenditur, nec ita prompte malum serpit. Distinguitur porro tussi molestiore, ideoque cum capitis saepe dolore ac vomitu; integram vitae aetatem rarius adoritur.

Pleurodynia vix febrem habet, pressu crudeliter exacerbatur, sine tussi est, sine anxietate. Hydrothorax saepe distingui non potest; vel, ut verius dicam, lenta est Pneumoniae in seri effusionem transgressio. Spiritus tamen difficilior est, et urina parca, multo albumine onusta; pallor faciei saepe, pedum tumor, subita e somno excitatio.

A *Pneumonia Hepatitis* distingui potest dolore in hepatis regione, ad scapulas jaculante, difficili in latus sinistrum decubitu, atque flavedinis tinctu oculos cutemque occupante. Quinimo lenta est Hepatitis, cum Dyspepsia conjunctissima; regio sub cartilaginibus dextra sub digitorum pressu, dolet.

Diaphragmitis morbus est nequaquam frequens; siquando contigerit, Pneumoniae mire aemula visa est. Privata tamen esse signa dicuntur singultus, risus sardonicus sensus quasi cinctus per margines costarum.

PROGNOSIS.

In prognosi proferenda observari debent conditio aegri, praesertim pulmonum ejus; nec non morbi duratio, violentiaque.

Si homo Phthisi obnoxius sit, atque tubercula pulmonum indicet, morbove saepe affectus sit, tum terminatio parum fausta metuenda est, praesertim si morbus plures dies protractus, remediis non cessavit. Si vero aeger,

contra, habitus corporis sani sit, morbus sub initio deprehensus, tum resolutio expectanda est. Signa infausta sunt, spiritus exiles, crebri, sonitu crepitante absoluti, orthopnoea, pulsus tenuis, subductus, abnormis; vultus tumens lividus, suffocationem minans.

Signa fausta sunt, pulsus plenus, aequalis quamvis frequens, respiratio nec gravis, nec dolens, sputum crassum, albido-flavidum aliquando sanguine tinctum, sine difficultate, et summo cum levamine ejectum.

CURATIO.

Evidens est Pneumoniam variam poscere curationem, pro duratione ejus, et aegri conditione jam praesente. In omni inflammatione remedia quae sanguinis impetum leniant manifesto indicantur, ita tamen ne eundem ab aliis partibus ad locum laborantem divertant. Hinc sanguinis missio, alvi purgatio, diaphoretica, epispastica, expectorantia, praecipue sunt remedia adversus Pneumoniam; et frigus

nimium ne ad pulmones summae cutis humores dirigat, non minus caute quam calor fugiendum. His quidem diligenter admotis remediis, morbus plerumque cedere solet; ac de iis igitur paullo fusius sigillatim tractare destinavi.

Venaesectio princeps remedium est, cui quidem alia nihil nisi subsidia sunt. Quandocunque pulmonum inflammatio se ostendit per signa sua prima, tum sanguinis detractio statim adhibenda est. Modica enim sanguinis copia sub initium missa plerumque morbum intercidere valebit, atque diras alioquin accessuras sequelas, prorsus arcebit. Sanguis amplo de vulnere fluere debet, donec dolor jam, inspiratione facta, vix percipi potest, pulsus fere naturalis evasit. Si vero signa revertantur cum pulsu duro, vena iterum tundenda erit; atque hoc iteretur saepius, si opus sit, donec effectus quem cupimus, supervenerit; vix tamen post pulsus plenitudinem atque rigorem domatos etiamsi dolor perstare videatur. Tum sanguinis detractio specialis, vel epispastica illi substituenda sunt; namque nimio sanguinis

detracto, vasa ita debilitare possemus, ut vires amissas nunquam recuperare valerent.

De sanguinis vero missi utilitate, male judicamus e solo pulsus arteriarum tactu. Fallacissima enim res pulsus est, saepe parvus ac debilis etiam cum aeger pene vi morbi suffocatur. Talis vero sanguinis detractio saepe ipsis mortis faucibus eripiet, quin pulsus statim firmior vegetiorque evadet. Imo pro lege universa proponi potest, " sanguinem ullo tempore ante suppurationis indicia manifesta tuto mitti posse, celebrandum vero pro signis tum praesentibus, cum eo tamen, ut sanguis quanto diutius malum perseveraverit, tanto parcius mittatur, quippe quod, vasculis resolutis, facile in effusionem, aliaque mala praecipitare possit

Epispastica commodissime post inflammationem sanguinis missione subactam adhiberi possunt, saepeque morbi reliquias fugabunt, praesertim dolorem tussimque. Ampla, et doloris sedi rectà admota esse debent; quod si unum ex his non sufficerit, melius erit aliud

adhibere, quam ulcus ab illo factum unguentis irritantibus apertum conservare.

Cathartica.—In pulmonum inflammatione, vehemens alvi purgatio nocere visa est, id quod morbo provectiore utique fieri potest, sed initio morbi medicamentum quod alvum alacriter purget, summopere proficiet ad inflammationem domandum. Hunc ad finem cujusvis ex salibus mediis solutio divisis portionibus ad alvi purgationem propinata, vel calomelas cum jalapa idonea erunt; quin leni quodam medicamine alvus per totum morbi progressum laxa conservari debet.

Emetica ad vomitum usque agentia nocere existimantur, sed portiones tantulae ut nauseam solummodo moveant utilissima fiunt remedia; sputum promovent, cutem relaxant. Ex antimonio parata quasi *specifica* in Pneumonia habentur, maxime vero solutio vel vinum tartratis antimonii.

Expectorantia.—Inter actionem inflammatoriam, vel initium morbi, potus mucilaginosi praeter haustus antimonio ad nauseam imbutos, vaporisque inhalatio optima sunt expec-

torantia. Gummi autem foetida et scilla stimulant nimis; sed postquam inflammatio subsederit, sputum coeperit, tum ea propinata, hoc utiliter promovere queunt.

Refrigerantia non multum prosunt. Jure enim optimi dubitant medici, num frigus in Pneumonia omnino expedit. GREGORIUS 60° suadere solitus est, pro calore cubiculi quo aeger se continet. Haustus salinus effervescens tamen nihil nocere potest, atque sitim restinguere videtur.

Sedantia saltem narcotica hoc morbo caute adhiberi debent. Ex his opium princeps, tamen non nisi post inflammationem subactam dari licet, sputo jam pene strangulante. Angores enim mitigat, sputum laxat. Haud pauci ab initio morbi digitalem aegris hauriendam imperant, pulsum, ideoque nisum inflammationis lenire putantes. Recentiorum autem experientia parùm hanc curationem probavit: atque prudens idoneaque sanguinis missio facile remedio tam ambiguo supersedet.

DE DIÆTA ET REGIMINE.

Inflammatione adhuc urgente, aeger naturaliter cibum parum appetit, atque oblatum, quicquid calefaceret vel stimularet, vel concoctu difficile esset, quasi providae naturae monitu rejicit. Talia igitur diligenter vitari debent, levissimis tantum et concoctu facillimis ei substitutis. Dum convalescit, ne aeger recidat summopere advertendum est: quoniam tum pulmones debiles valdeque irritabiles aliquamdiu perstant. A frigore atque excitatione externa homo caveat, necnon ab omni excitatione, praesertim ipsorum pulmonum, qualis loquendo, canendo, currendo, vel celeriter equitando generari consuevit. Veteres ad pulmones confirmandos "claram lectionem" usui commendabant, sed initio convalescentibus utique haec fugienda est. Ante omnia indusium laneum cuti proximum induat; aëris vicissitudines graviores evitet; tum paulatim ad mores solitumque vitae genus se reducat, donec pristinus vigor corpori fuerit restitutus.

FINIS.